



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 41. Papæ Cœlestini obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

provincias, dissidentes populos pacandi gratia, instructum potestate irrogandi poenas sacras & temporales authoribus turbarum & pacis hostibus. Mandatum dedit 29 Apr. 1296.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1296.

§. XLI.

*Papæ Cælestini obitus.*

Interea Petrus Moronus, qui Papa Cælestinus V fuerat, Fumonix arcis turri firmissimæ inclusus hærebat, custodiam diu noctuque agente præsidio sex Equitum, ac militum triginta. Præbebatur ei largiter victus necessarius, quo paratissime utebatur pro veteri more suo: sed ad ejus conspectum nemo admittebatur. Poposcerat duos Ordinis sui Fratres, quibuscum divini officii pensum persolveret: atque concessi erant. Sed carcerem tam angustum diu tolerare haud poterant: efferebantur ægri & alii eis succedebant. Locus tam arctus erat, ut vir sanctus de nocte dormiens collocaret caput ibidem, ubi ponebat pedes de die sacrificans. Cuncta hæc incommoda, & ferociam excubiæ ferebat ita, ut nullum impatientiæ signum ederet.

Decem mensibus hoc in carcere tractis, die Pentecostes 13 Maji an. 1296 peracta re divina ad accitos Equites custodes

Boll. to. 15.  
p. 476. 496.

**Sæcul. XIII.** stodes suos dixit se ante dominicam po-  
**A.C. 1296.** steram moriturum esse. Et vero eodem  
 die violenta correptus febris extremam  
 unctionem petiit, qua accepta, in tabula  
 tapete trito velata, ut voluerat, positus  
 die sabbati 19 mensis, cum vespertinas  
 preces suis cum Religiosis absolveret, Spi-  
 ritum Deo reddidit. Quidam ex vigi-  
 libus ejus Papæ Bonifacio aliisque po-  
 stea indicarunt, se a die Veneris usque  
 ad Sancti obitum vidisse parvam coloris  
 aurei crucem in aëre suspensam ante to-  
 res penetralium ejus. Sepultus est Fe-  
 rentini in templo sui Ordinis. Cardina-  
 lis quidam a Bonifacio missus exequiis  
 ejus interfuit: & ipse Papa Romæ solen-  
 ne pro eo sacrum fecit.

## §. XLII.

*Fridericus Siciliae Rex.***Rayn. 1297.****n. 18.****Ind. Arrag.****p. 144.**

**I**nitio hujus anni Papa Bonifacius in  
 gratiam Jacobi Arragonum Regis di-  
 ploma edidit, in quo deplorata terræ  
 cræ jactura dicit: Inter omnes Principes  
 Christianos nullum ferendis Palæstina  
 suppetiis aptiorem videmus quam Ja-  
 cobum Arragonum Regem cum Roma-  
 na Ecclesia recens reconciliatum. Hunc  
 per vitam suam constituimus ejus Vexil-  
 larium, & Imperatorem omnium copiarum  
 navalium, quas illa colliget, ac suis  
 alet.